



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem  
Disputationes in Capita diuisas

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1621**

Quid senserit Henricus. c. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

dita est voluntate: ergo in Christo fuit humana voluntas. De Theologia igitur hoc modo accepta, nō vt veritatur in explicatione principiorum, sed vt procedat ad eliciendas conclusiones, controuersa est, vtrum sit vere, & proprie scientia, an non.

CAPVT II.

Opinio Francisci de Marchia.

**S**ic ergo intellecta hac quaestione, prima opinio est, quam refert Gregorius in 1. q. Prologi art. 4. & Okam. q. 3. cuiusdam Francisci de Marchia, quem aliqui referant esse Maironem: sed reuera non est: hic enim oppositum docuit, vt infra dicemus. Dicebat itaque Theologiam esse vere, & proprie scientiam, eo quod supponebat, principia illius, que sunt articuli fidei, esse per se & euidenter nota, ita vt illorum habeatur intellectus, sicut etiam principiorum naturalis scientiæ: ob id tamen non negabat fidem diuinam esse necessariam ad assensum. Fundamenta huius sententiæ prætermitto, quæ fufius refert Gregorius: ea enim scruola sunt, & nullius momenti. Hanc opinionem multis refellunt Okam, & Gregorius loc. cit. ea parte, qua dicit omnia Theologiæ principia, que in Scriptura, aut alio modo nobis tradita sunt, esse per se, & euidenter nota. Potest autem vel hac sola ratione impugnari. Nam præterquam quod, vt ostendimus disput. 135 in hac vita haberi non potest euidentia mysteriorum nostræ fidei, imo neque à Deo communicari, nisi sit intuitiua, & beatifica, quis non videat Trinitatis mysterium, quod naturale Deo est, tum & mysterium resurrectionis futuræ, quæ ex sola Dei voluntate pendet, non esse alicui viatoris per se, & euidenter notum? Deinde si mysteria fidei ita essent nota, non videretur necessaria fides ad assensum. Vt enim ostendimus 2. 2. quæst. 2. artic. 4. quamuis cum aliqua scientia euidenti, quæ habetur per alienas species fides esse possit, cum notitia tamen euidenti eorum, quæ per se nota sunt, esse nequit; eadē prorsus ratione, qua neque cum euidentia mathematica esse potest. Quod enim per se euidenter notum est, non minus euidenter erit, quam conclusio quælibet mathematica. Et sane in eo, quod supponit opinio, erroris notam meretur: cum dicat Paulus. 1. ad Corinth. 13. videte nos in hac vita per speculum, & in ænigmate, 2. ad Corinth. 5. & 2. ad Corinth. 5. per fidem ambulare, non per speciem. Cæterum si verum esset, quod supponit opinio, absque dubio Theologia nostra vere, & proprie esset scientia, vt sequenti capite probabitur. Superest igitur cum alijs Scholasticis controuersia, an sit vere & proprie scientia, quatenus procedit ex principijs sola fide creditis.

Impugnatur prædicta sententia.

1. Corin. 13

2. Corin. 5.

Erroris insinuat.

4.

CAPVT III.

Quid senserit Henricus.

**S**ecunda sententia est Henrici in Summa art. 6. quæst. 1. & quodlib. 12. q. 2. Qui docet Theologiam duobus modis à viatoribus haberi posse, vno modo; ex principijs sola fide creditis; altero, ex eisdem euidenter notis, non dicit per se, sed euidenter notis: quod putat fieri posse exercitio, & studio ipsius fidei. Hæc enim (inquit ille) primum proponit mysteria obscure credenda; deinde peruenire possumus per studium fidei ad euidentem intelligentiam eorum. Hanc verò euidentiam, quam existimat discursu generari, inquit

Vazquez in 1. partem Tom. I.

non esse visionis, quam vocant intuitiuam, sed inferiorem, & quæ possit esse simul cum assensu obfuro fidei. Videtur ergo supponere, posse esse hanc euidentiam nō quidditatiuam, & propriam, sed per alienas species, sicut habemus in via de Deo. Dicit itaque, si Theologia habeatur priori modo, non est vere, & proprie scientia: si vero contingat posteriori modo, erit vere & proprie scientia. Priorem partem probat ratione communi, quam infra pro sententia nostra referemus, in ea namque nobiscum conuenit Henricus. Posterior vero sic probatur: quia tunc bona consequentia ex illis principijs euidenter notis, erit vere & proprie demonstratio, aut Quia, aut Propter quid, generans aliquam euidentiam conclusionum: Erit ergo Theologia eo modo proprie scientia; de cuius ratione est euidenti demonstratione generari.

5.

Hanc opinionem impugnat Durand. in 2. q. Prologi. Primum in eo, quod asserit mysteria nostræ religionis, quæ fide sola credita sunt, in hac vita fieri posse nobis euidentia, de quo dicemus infra disput. 135. & 2. 2. quæst. 1. artic. 5. quinimo ostendimus, de potentia absoluta fieri non posse nobis euidentia, nisi sola notitia intuitiua, in qua beatitudo nostra consistit. Nunc saltem sufficiat supponere, exercitio solo fidei, & labore, non posse nobis fieri mysteria euidentia: quo supposito Theologia viatoris ex sententiâ etiam ipsius Henrici, non erit, vere & proprie scientia.

Durand.

Inuitio solo sunt euidentia mysteria fidei.

Secundo probat Durand. etiam si principia fidei fierent euidenter nota, Theologiam non fore vere, & proprie scientiam, vt contendit Henricus: nam qui potius assentitur alicui propositioni propter auctoritatem dicentis, quam propter quamcunque euidentiam rationis, ita vt auctoritate cessante, vel non assentiretur, vel saltem non assentiretur eodem modo, non dicitur habere scientiam, eo quod assensus scientiæ ratione euidenti potius, quam alia via deducitur. Sed ille, qui in doctrina fidei, exercitio illius, perueniret ad euidentiam articulorum, se haberet hoc modo, ergo virtute talis euidentie non posset vere habere scientiam conclusionum Theologicarum. Tertia ratio, qua Durandus adducit, ad hoc solum tendit, vt probet, non posse haberi intellectum articulorum fidei, sicut habetur principiorum in aliqua scientia, de quo modo non disputo, sed disputatione illa 135 dicendum est.

6.

Cæterum secunda ratio Durand. non probat id, quod proposuit. Si enim articuli fidei alicui fierent euidentes, siue per se, siue per aliud, conclusio, quæ ex illis per euidentem consequentiam colligeretur, esset vere, & proprie scientia, quia illius esset euidentis assensus per discursum. Primum quidem, si articuli essent euidenter noti à posteriori: nā in scientia subalternata ex principijs indictione solum, & à posteriori euidenter notis inferretur conclusio scientiæ. Deinde si articuli essent euidenter noti à priori, siue per se, siue per alia principia, scientia etiam à priori, & propter quid ex illis colligeretur: optimè ergo inferebat Henricus Theologiam tunc fore vere, & proprie scientiam, quando quis ex art. euidenter notis euidentes quoque conclusiones inferret. Quod verò dicebat Durandus, necessarium esse ratione demonstrationis præcipue assentiri conclusioni, ad hoc, vt illius habeatur scientia, verissimū est. At in casu illo, etiam

Ratio Durandi examinatur.

etiam

etiam si aliquis propter auctoritatem simul fide  
 7. crederet articulos, & illorum haberet evidentiam,  
 paratus nihilominus credere sola auctoritate, non  
 tamen esset vnus, & idem assensus fidei, & eui-  
 dentie circa conclusionem ex articulis deductam,  
 sed illa duplici assensu esset nota; vno quidem  
 ex principijs fide creditis, altero vero ex princi-  
 pijs euidenter notis. Hic verò assensus non  
 esset præcipue propter auctoritatem, sed propter  
 solam rationem, vt constat. Tunc autem futurum  
 esse duplicem conclusionis assensum patet, quia  
 per eadem media obscurè, & clarè cognita non  
 potest idem assensus conclusionis colligi: si ergo  
 vt cõtendit Henricus, articuli fidei, qui sunt princi-  
 8. pia, essent euidenter noti, & simul fide crediti,  
 non colligeretur idem assensus obscurus, & clarus  
 eiusdem conclusionis. Assensus igitur clarus  
 posset esse vere, & proprie scientia.

Henric.

Caiet.

8.

Caiet.

Aristotel.

9.

Scotus.

CAPVT IIII.  
 Sententia Caietani.

Tertia opinio est eorum, qui dicunt Theologiam  
 posse bifariam considerari; primum se-  
 cundum se, deinde in viatoribus. Priori illo mo-  
 do, dicunt esse scientiam propriè, & perfectè, po-  
 8. steriori verò, non esse scientiam perfectam. Ita  
 docet Caietanus in hoc articulo §. Ad euidentiam  
 huius. cum vero dicit, in viatoribus nõ esse perfectè  
 scientiam, intelligit non esse vere, & proprie. Sub-  
 iungit enim rationem his verbis: *Quia non vere scit,  
 qui non vere scit resoluit in principia euidentia.* Asserit  
 igitur in viatoribus esse imperfectam scientiam,  
 hoc est, non vere & proprie scientiam ratione sta-  
 tus: & ideo putat, consultò non respondisse S.  
 Thomam absolutè esse scientiam, sed esse scien-  
 tiam subalternatam, vt indicaret esse imperfectam,  
 & impropiam scientiam.

Hæc sententia Caietani, quatenus asserit Theo-  
 logiam in viatoribus non esse vere, & proprie scien-  
 tiam, inferius examinanda erit; ad hoc enim redu-  
 cetur tota huius controuersie difficultas. Nunc  
 autem paucis ostendam, qua ratione diuisio illa  
 Theologie, secundum se, & in nobis, allata à Cai-  
 etano, & ab alijs, sit intelligenda. Bifariam ergo  
 Caietanus accipit Theologiam, vnam dicit esse  
 Dei, & Beatorum; alteram verò viatorum: hanc  
 posteriorem rursus diuidit in Theologiam secun-  
 dum se, & prout est in nobis. Cum igitur ait Theo-  
 logiam secundum se esse verè scientiam, non lo-  
 quitur de Theologia Dei, quam ipse de seipso ha-  
 bet, de qua non est difficultas: est enim perfectis-  
 sima scientia, sed non vniuocè cum creatura, maxi-  
 me cum ea, quæ fit per discursum, quatenus definit  
 Aristot. 1. Posterior cap. 2. & de qua nunc est con-  
 trouersia. Qualis verò sit scientia Dei, videbimus  
 infra q. 14. Neque loquitur Caietanus de Theo-  
 logia quam Beati de Deo habent, quæ sane etiam  
 si sit euidentis, nõ est scientia; vt definitur ab Aristote-  
 le loco citato: hæc enim debet esse per discursum:  
 scientia autè Beatorum sine illo est. Omnia autè my-  
 9. steria fidei sunt illis per se nota: sicut Angelis sunt  
 propria species, vt dicemus infra disput. 221. c. 2.

Quare fallitur Scotus quæst. 3. Prologi, quæst.  
 4. laterali, vbi dicit, Theologiam secundum se,  
 hoc est, in Beatis esse scientiam, vt definitur ab Ari-  
 stot. putat enim in illis eam fieri per discursum:  
 fallitur ergo, quoniam sicut de Angelis contra-

ipsum probabitur eos non discurrere, ita de Beatis  
 dicendum est. Intelligunt enim ea, quæ vident,  
 sicut reuera sunt, & ideo sunt illis per se nota. Lapsus  
 est etiam Bassolis loco inferius allegando cum  
 asserit etiam in Deo, & in Angelis Theologiam  
 esse vere scientiam, quia de ratione scientie (in-  
 quit ille) non est generari per discursum. Errat  
 autem, quoniam hoc solo differt intellectus à sci-  
 entia, quod hæc est per discursum, ille vero sine  
 discursu. In quo nobiscum conuenit Scotus, ideo-  
 que fatetur Theologiam, quam Deus habet de se,  
 non esse scientiam, vt definitur à Logicis, sed supe-  
 10.riori quadam ratione,

Bassolis.

Caiet.

Theologia secundum se scientia est.

10.

Demonstratio Theologica negat esse instrumentum sciendi.

Cum ergo Caietanus asserit, Theologiam se-  
 cundum se esse scientiam, vt definitur ab Aristotele,  
 intelligit planè Theologiam viatorum, non  
 quatenus est in illis obscura notitia ex principijs  
 solum creditis collecta, sed consideratam sine im-  
 perfectione obscuritatis: ea vero ratione dicit esse  
 scientiam, quia argumentum illius esset demon-  
 stratio, si principiorum haberetur euidentia: quæ-  
 admodum in mathematicis multæ sunt demon-  
 strationes secundum se, quæ tamen alicui non ge-  
 nerant scientiam, quia ei non sunt principia eu-  
 identer nota, sed tantum fide credita. Atque in hoc  
 sensu vera est sententia Caietani. Est tamen diuer-  
 sa ratio de mathematica demonstratione, & de  
 Theologica, nam mathematica in aliquo potest  
 generare scientiam, in eo videlicet, qui habet eu-  
 identiam principiorum: at Theologica demonstra-  
 tio in nullo certè potest generare scientiam per  
 discursum: nam ille, cui essent nota euidenter  
 principia demonstrationis Theologicæ, discurre-  
 re non posset, sicut ille, cui sunt euidentia princi-  
 pia mathematica. Principia namque Theologica  
 nulli possunt esse euidenter nota, nisi clarè viden-  
 ti Deum: hic autem discurrere non potest, vt pro-  
 xime dicebamus. Quo circa demonstratio Theo-  
 logica nulli potest esse instrumentum sciendi: est  
 tamen talis naturæ, vt si principia essent euiden-  
 tia tali modo, vt simul posset esse discursus, scien-  
 tiam generaret: veluti si alicui in hac vita commu-  
 cari posset euidentia mysteriorum per alienas spe-  
 cies. Cæterum præfens controuersia tantum est de  
 Theologia, quatenus in viatoribus actu reperitur  
 cum obicitur principiorum, vtrum ea sit verè,  
 & proprie scientia.

CAPVT V.

Opinio Alberti, & Thomistarum.

Quarta sententia satis communis inter recen-  
 tiores est, Theologiam viatorum ex articulis  
 sola fide diuina creditis deductam, esse vere, &  
 proprie scientiam, non tantum secundum se, sed  
 etiam, vt est in ipsis viatoribus, imperfectam ta-  
 men in suo genere. Hanc sententiam putant re-  
 cētiores esse S. Thomæ, sed quid ipse sentiat capi-  
 te sequenti videbimus. Referunt etiam pro ea ex  
 antiquis Theologis Antistodoressem, Bonauenturam,  
 & Egidium: ex quibus Antistodoresensis obi-  
 ter de hac re loquens docet oppositum. Egidius  
 vero in 2. parte Prolog. articulo. 2. disputans de  
 subalternatione Theologie inquit posse dici scien-  
 tiam, & ideo opus esse, vt articuli fidei, qui sunt  
 illius principia, in alia scientia, scilicet Beatorum,  
 sint per se noti. Ex hoc tamen non sequitur  
 iuxta sententiam Egidij, Theologiam esse ve-  
 re, & proprie scientiam prout in nobis est, sed solum

11. Theologiam scientiam imperfectam affirmant.

Bonauent. Antistod. Egidius.